

W. 53, 25

Oratio,

X 1904054 211 *Quæ*

Π ο  
134

# Suam PEREGRINATIONI

dignitatem asserit,

ejusq; cum necessitatem, tum cum summa amœ-  
nitate conjunctam utilitatem  
defendit,

*in*

*Alma Lipsiensium Academia benigno*

Speſtabilis Dn. DECANI, nec non inclutæ FACUL-

TATIS PHILOSOPHICÆ præcunte consensu

*Publici exercitiij cauſâ*

*in*

*Acroaterio Collegij Majoris inferiori habita-*

AB

## Andrea Kulpis Meinevvenſi,

L.L. Studioſo.

*Ad diem Aprilis 3.*

Anno clō Iſc XIX.



### Lipſiæ,

Excudebat FRIDERICUS LANGKISCH,





VIRIS

*Strenuis, Nobilissimis, omnique Heroicarum  
virtutum genere spectandis*

**Dn. Gothofredo von Wolfferß  
dorff/vff Merckerßdorff vnd Dölitz/re.**

*Serenissimo ac potentissimo Saxonie Electori, à Con-  
siliis, Supremi Appellationum Judicij Assessori, & Leucopet-  
ræa Praefecto meritissimo,*

NEC NON

**Dn. Heinricho von Bünow vff  
Meinewe.**

*Dnn. Mecænatibus & Patronis æternùm venerandis ac  
suspiciendis*

*hoc quicquid est exercitij Academici in debitz observan-  
tiæ argumentum & sui studiorumq; suorum  
commendationem.*

*ded. & off.*

*Andreas Kulpiss. LL. Studiosiss.*





D. O. M. A.

**S**I quis inter omnes unus, Magnificentissime ac Generosissime Domine Rector, Magnifice, Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Humanissimiq; Viri, tuq; circumfusa, nobilissimorum juvenum, lectissimorumq; corona, si quis inter omnes unus homines, tam excors, tamq; rudis existat, ut in politissimo, scientissimoq; orbe se vitam jam trahere multo amenissimam nesciat, dignus certe sit omnium praeclare sentientium votis, qui sanctum hominis & venerandum nomen deponat; & inde cum Ullyssaeis in porcum & glirem (vile genus atq; abjectum) discedat, ut eam, quae adhuc restare visa, etatem, in silentio, stupore, mœrore, amentia claudat & transigat. Gravissimum certe votum, si, in quem exire possit, reperiat. Equidem nunquam id fore confido; Quando & casum fortunamq; hominis sperare istam, nec civile nec naturale sit: Qui enim nunc vivimus? Quales, queso, sumus? Cujus in literis, in militia, in omni deinde rerum sive scientiarum genere, felicitatis, gloriae, autoritatis potimur? Ne dum ad haec mea pertingat oratio, meus ad haec sermo veniat, lectissimi, rogo, Auditores, expectetis. Nam nec

A 2

solari-

Paulus in l. interstipulante 83. §. Sacram. 5. pag. vers. sed hzc de V. O.



O R A T I O.

*solaribus lucernam commo-  
 dare radiis, aut faces ad-  
 bibere, meum; nec indulgere sermonibus, ubi rebus  
 ipsis salutariter uti frui liceat, decorum est. Saltem  
 quæ felicitatis istius felicissima causa, gloriæ hujus  
 gloriosissima ratio fuerit, dicendum est, aperiendum.  
 Qua in re suo quemq; abundare sensu patiar, dummo-  
 do me sinat, meo. Meo autem? Imò, si veritatem quod  
 sedulo debetis singuli, jam diu verò enitimini & la-  
 boratis universi, audire volueritis, migrationibus ac  
 Peregrinationi expensum ferri debere, statuetis.  
 Quod si hoc in presentiarum evicero, certissimum e-  
 rit, neminem unquam potiore sui parte sanum, ami-  
 cum sibi optaturum esse, eum, quem sic communis vitæ  
 pigeret, ut sine sex millium suffragiis civium, nullum,  
 intra mœnia civitatis cujusdam amplissimæ peregri-  
 num reciperet: Cujus tamen bæreseos quondam habe-  
 batis Timonem: habebatis singulos Athenarum opti-  
 mates & Proceres; Nec quenquam probaturum Ly-  
 curgum, cum Spartanorum invictis aggeribus (cives  
 noto Spartanos) artificiose cædis, ingeniosi furti, adul-  
 terij honorati Magistros, peregrinationem capitis  
 supplicio ulciscentes, exoticas à litore merces defen-  
 dentes, arcentes, nec Rempublicam nisi ab exteris non  
 frequentatam florere, nec aliter, nisi sic vindicatam,  
 æternis fundamentis consistere posse putantes. Imò,  
 qui antè hac insipienter sapientes Chineses, quod suo  
 semet-*

Kirchner, in  
 Respubl. & in  
 Quæstion. Ju-  
 ristic. O. 5.

Consult.  
 VVürtemb.  
 O. 1.



semetipsos statuto à peculiari, aliorum populorum commercio sua sponte excluderunt & distraxerunt, laudasset, memoria nostra repetit neminem; nisi quem repetitum ultrices Vesuvij aut Æthna ignes, accipere deberent. Quod verò si cui barbaro fortè barbarorum Moscovitarum instituta, (quibus idem delirium cum Lacademoniis familiare jam esse fertur) placerent, illi animitus, ut eorum fines appellaret, exoptarem, quo miserrimum hospitem in eandem servitutem damnatum mortui vel incurserit boves, manentem, vel furtim discedere festinantem, & à fuga retractum, arbor aliqua tanto fructu gravis guttenuis acciperet, aut murcum, immobilis instar ponderis, casa quæpiam sustineret. Plurimi nobiscum profectò damnant abdominatos, cum bestiis ad pastum ventremvè abjectos, Sybaritas atq; Ephesios, eò quod nihil peregrini, novi nihil, alieni nihil admiserunt, ne elegantioribus sic institutis imbuti ac expoliti, assuescerent. Deniq; omnes execrantur nonnullas circa Caucasum gentes, nempe Seriphios, quod nulli reorum, et si sceleratissimo, aliã, quàm exilij pœnam (cuicunq; mortis generi ipsorum sententia præferendam) decernant. Verum enim verò ut quò declinavit, eò se nostra denuo convertat oratio, animus is mihi jam est, non contentiosa & silice emendata voce Demosthenem æmulari: non de Athamantis vesania, de solis & Ne-

Johann. Bacquet. du droit. de Aubaine liv. 1. c. 2.

Euphorm. Lufin. in leone anim. c. 8.

Herm. Kirchn. d. loc.

Alexand. ab Alex. Genial. dier. lib. 3.

c. 5.



O R A T I O.

ptuni certamine, de Ariadne, de raptu Helena aut Lyciorum ranis, (cum sint perquam tenuia) differere; sed quam necessarium simul atq; jucundū sit, cum ceteris, tum omnibus literarū alumnis, peregrinandi studiū, brevi sermone perspicuoq; exprimere. Vos modò, Vos Magnificētissime ac Generosissime Domine Rector, vos Magnifice, Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Excellentissimi, Humanissimiq; Viri, Vos qui unà mecū Musarum adestis alumni, Vos inquā nobilissimi lectissimiq; juvenes, uti corporibus, sic animis mētibusq; vestris adeste: Agite, mihi aures commodare pergite: Ego linguā commodabo vicissim vobis meam.

Enimverò id, quod hominem salutamus providum, sagax, acutum, rationis consiliūq; plenissimū animal, à summo DEO præclara quadam conditione generatum fuisse videmus, ut globū totius cæli medium tueretur & coleret: non ut hanc aut illam solummodò terræ plagā necessitas aliqua tenere urgeret: sed ut omnes universi orbis regiones, si libuisset, peragrare, evolvere, ac pervolare posset; quo ejus sive dignitatis, sive præstantiæ, quæ eū à cetero animantiū grege, seclusit atq; distinxit, amplificanda ratio, non minuenda extaret occasio. Siquidē cum in multis natura se nobis matrē, in multis subinde novercā præstiterit: nunc participē rationis concedendo mentem: nunc eam, quam benignè contulerat crudeliter impediēdo, multando, majorib; longè

§. in Pecudum  
37. lust. d. rer.  
divis. l. Justif.  
fime. 44. m  
princ. ff. de  
ædicil. Edict.  
l. §. in Pecu-  
dum. 28. §. na.  
ff. de usur.



longè & densioribus tenebris, mancipando, & affligendo, enitendū certè, quibus id, quā instrumentis, quā ad-  
 miniculis ad pristinam sui vel conditionem, vel faciem  
 revocari possit ac emēdari. Hic Magistris suus ab ini-  
 tio labor constabit: Huic omnia à cunis ad adolescentiæ  
 annos usq; serviet matura ætatis conatus: Huc omnia  
 itinerum profectioumq; redibunt consilia: His impi-  
 ger animus, nec sortis ignarus humane vacabit:  
 Quantillum enim est, quod vivimus, nec illud ab omni  
 indignatione beatum & liberum? Æstimatione enim  
 quietis nocturnæ dimidio quisq; spacio suæ vitæ vivit,  
 & equam partem morti omninò similimam transigit:  
 Infantia deinceps anni, & quadrupedum æmuli, non  
 absq; insomni parentum cura vigiliisq; diuturnis & si-  
 ne propemodum intellectu, eorumq; quæ vident sensu  
 cedunt, ad alias deinde continuo nos ruunt puerorum  
 ineptias. Has porro effrenis adolescentiæ capit licen-  
 tia, & sine præteritorū recordatione & perspicientia  
 futurorum coercet prudētia, ardet tunc animus è cor-  
 rectione patruis & propinquorū sive medicina sive cen-  
 sura asperrimus, inq; vitiū flecti mollis & cereus: mox  
 & sectatur castra libidinis; mox iræ ministrat, utringq;  
 sibi primas (qui ne suus quis sit præstat ac efficit) furor,  
 pœnitudo secundas, spes melioris vitæ postremas vindi-  
 cāt. His auspiciis ad juventutē profecti, & inde maturā  
 virorum consecuti etatē, ij omninò sumq; quibus varia  
 nec

Plin. lib. 7.  
 nat. hist. c. 50.

l. in negotiis.  
 §. ff. de R. J.  
 l. 1. in princ.  
 C. de fals.  
 monet.

l. fin. ff. de ignor.  
 Jur. & fact. 1.  
 un. C. de E-  
 mend: pro-  
 pinq.  
 l. Fulcinius. 7.  
 §. adeo. 9. ff.  
 Quib. excaus.  
 in poss. eat.



Argumento l.  
 1. §. & gene-  
 raliter 15. ff.  
 de vente in  
 poss. mitt. l.  
 postliminium  
 §. §. filius 7.  
 ff. de capt. &  
 postlim. re-  
 vers. §. Honor.  
 14. §. plebei 4.  
 ff. de Muner.  
 & honor.

Plin. d. lib. 7.  
 c. 50.

nec pœnitendæ scientiarum messe conspicuis se solan-  
 tur amici, oblectant parentes, ardentibusq; suspiriis  
 sui defensionem patria, sui curam atq; tutelam decer-  
 nit, quin etiam nostris omninò bumeris in totum con-  
 fisa recumbit. Horum n. omnium compendiis ac emo-  
 lumentis nascimur, inq; terram cadentes tenerrima  
 ista spe ad hæc vita spatia, ad hanc suavissimæ usq; lu-  
 cis producimur & sustentamur usuram, eò usq; donec  
 valde pertæfos ac nimiùm querulos senectus accipiat:  
 ubi (qui vix, ex infantia, pueritia, adolescentiaq;  
 servitiis in libertatem juventutis se asseruerant, ad  
 digniorem fortunam anbelarant) sensus hebescunt,  
 membræ torpent, præmoritur visus, auditus, ince-  
 sus, dentes etiam ac ciborum instrumenta intereunt;  
 adeo ut si rem ad digitorum revocare velis articulos,  
 vix tertia ætatis suæ parte quemlibet nostrum vive-  
 re, & animo, divinæ istius auræ particula, salutariter  
 uti posse intelligas: Brevissimum ac quicquid id est  
 temporis, multa nobis ad elaborationem mentis, ad  
 animi perfectionem sponderet; nisi tunc infinita sæpe-  
 numero periculorum genera, tanta morborum atq;  
 curarum copia, tot metus discriminumq; exempla,  
 cervicibus nostris instarent, mentemq; humi afflige-  
 rent: nî tandem creberrima mortis invocatio utramq;  
 paginam faceret, & nullo frequentiore voto nos ipsos  
 urgeret: Quæ igitur sit indignitas, cum sis juvenis  
 & inte-





O R A T I O.

*Et integerrimus tibi sanguis, animum quem vix or-  
 bis capit in sesquipedali terra frustillo captivum tene-  
 re, Et ab ea, qua ad insignem sui ipsius perfectionem  
 illi anbelare liceret periodo, arcere ac dimovere. Quae  
 sit iniquitas, passerulum liberrimè per infinitos spa-  
 ciorum tractus errare, Et hominem ceterarum ani-  
 mantium dominatorem cavee unius agelli aut urbe-  
 culae includere velle. Praeclara certè illa divini So-  
 cratis sapientissima responsio; qui cum aliquando Cu-  
 jatem se diceret, interrogaretur, Mundanum se esse,  
 dixit: Totius enim (ut ait Tullius) mundi se incolam  
 Et civem arbitrabatur. Imitatum in eo Herculem  
 fuisse crederes: siquidem ipse qualem se profiteretur,  
 Et cui se civitati civem assereret, sciscitanti; non u-  
 nam jactare patriam, sed eam se agnoscere Graeciam  
 universam, reposuit. Praeclarius autem multò The-  
 mistocles: Etenim cum exul Athenis, per agratis Grae-  
 ciae totius provinciae finibusq; emensis, ad Persarum  
 se Regem contulisset, seq; ob virtutem Et militarem,  
 quin Et omnium aliarum rerum prudentiam acceptis-  
 simum esse intellexisset; ad ministros aliquando con-  
 versus, perieramus, perieramus, nisi periissemus, in-  
 clamat. Clarissimus utiq; erat superior Africanus,  
 dum in Hispaniis, dum in Africa, dum ad Asiae termi-  
 nos bello decernebat; dum Annibalis crudelitatem;  
 Pœnorum sevitiam frangebat, à Provinciis Roma-  
 B NORUM,*

Consult.  
 VVürtemb.  
 Q. 11.

Cic. 5. Tuscul.  
 quaest.  
 Plutarch. in  
 libr. de exilio.

Idem in  
 Apoptheg-  
 mat.

Valer.  
 Maxim. lib. 2.  
 c. 5. Cicer. 3.  
 de natur.  
 DEOR.



Philostrat.  
lib. 1. de vita  
Apollonij.

Ant. Major.  
Olig. de lib.

Teste Cic. d.  
Tuscul.  
Quaest. 5.

Quis in Hie-  
roglyph.

norum, à mœnibus patriis, ab aris & focus arcebat, a-  
vertebat & propulsabat, non cū Romæ, quam in toties  
servârat, tot victoriis, triumphis, columnis, trophæis  
impleverat, non, inquam cum Romæ immorari cœ-  
perat; nec cum in villa sua Linterni in Libitina ra-  
tionem veniebat. Hinc creberrimè Apollonius Tya-  
neus jactasse fertur; Juvenem imprimis decere, ac  
necessarium ei fore, non secus ac si patria pulsus esset,  
induciis ad tempus cum Laribus paternis & jucunda  
amicorum consuetudine factis, quàm longissimè pere-  
grinari & vitam degere; Enimvero qui nunquam à  
patria sua discedunt, ij profecto mihi spongiis ac lepa-  
dibus persimiles esse videntur: quæ quandoquidem  
sentire creduntur, à quibusdam animantibus brutis  
accenseri consueverunt: sed cum ab eo, cui semel na-  
tivis testis adhaeserunt solo separantur, non ita multò  
post intereunt: Quid ergo? Nonnè cum Zoophytis istis  
(uti Aristoteles appellat) idem facere videntur, qui  
extra patriam alibi locorum non modò degere ne-  
sciunt; sed & cum ipsi nunquam extra lares suos pe-  
dem extulerunt, trans flumen (ut est in trito sermo-  
ne proverbio) ripam habitabilem esse, vix persuaderi  
sibi sinunt: se solos instar Atheniensium αὐτὸχθονας,  
(unde & Antisthenis risum meruère) putantes; digni  
omnino, quos Ægyptiorum sacra Onocephali nota ex-  
primeret ac representaret. Tandem liberrimè di-  
cam,



cam, ridicula existimanda sunt capita, qui cum Tityro Maroniano, totum mundum, aliquot dierum itinere claudunt; & cum istis (quos nominare tædet) hominibus, præ sua quam incolunt, civitate, cæteras omnes despiciunt, non urbem eam, sed justam aliquam provinciam & regionem crepantes; aut qui cum Italis nonnullis & Gallis, unam eandemq; civitatem omnes in unum Germanos colligere somniant; quo etiam fit, ut sæpenumero quàm latè se ambitus ejus urbis, ab ipsis la magna appellata proferret, à nostris percontari soleant, & investigare. Parum profecto abest, quin hanc novam Rodolphi Camertij sobolem esse quis statuatur, qui profectiois nullam credebat præclaris & ad laudem natis ingeniis necessitatem incumbere; Verum ò tædiosam hanc Camertij! ò acerbam istam Atheniensium! ò Gallorum & Italorum istorum miserrimam! ò Zoophytarum turpissimam, tantis tenebrarum nebulis implicatam vitam ac condemnatam! Quid verò hoc est aliud, quàm in veteri ista Trophonij spelunca, quæ omnem sapientie semitam, omnem homini meliorem affectum, prudentiam ac serenitatem intercludere solita, etatem suam in mæstitia, stupore, inscitia, caligine ac solitudine beluina consumere? Longè profecto aliter sensere plurimi oppidò quàm insignes ad laudem viri. Hinc Ulysses Ithacam illam suam, saxulis asperrimis inbarentem

Consult.  
V Vürtemb,  
O. 3.

Testis Philip.  
Camerar. 1.  
Meditat. hist.  
c. 48.

De quo hæc  
tradit Theo-  
dor. Zvvinger  
in Method.  
Apodem. lib.



O R A T I O.

*tanquam aliquem nidum semper incolere noluit: Hinc Democritus obscurissimam Thraciæ Civitatem Abderam, patriam licet suam, reliquit: Hinc Anacharsis non in Scythia, sed apud exteros senescere concupivit: Hinc Diogenes Cynicus; Hinc Alexander ille Magnus: Hinc Priscus iste Tarquinius alibi flores atq; cognosci voluere: Hercules etiam non in Thebis Bœotii, neq; in Græcia tantum, sed in extremas occidentis partes progressus in Lybico mari, Alybem atq; Abenam ex ære fusas, locando, columnas sempiternam nominis gloriam atq; divinum apud Gentiles honorem, sibi peperit, excitavit & acquisivit.*

Natal. de Co-  
muni. lib. 19.  
c. 3.

*Nec sanè vel aqua vel igni frequentius ipsa peregrinatione, in literis, in artibus, in disciplinis, in omni deinde scientiarum genere utimur: Sic enim supremus rerum moderator & arbiter ille DEUS disposuit, ut terram illam fertilitate spectabilem, hanc æris commoditate florentem: illam additiorem tam Musis, quam Gratiis: hanc Marti faventiolem esse præceperit; Nec unius loci, Provinciæ domusvè cujusdam angustiis diviniore arte includere, aut penes unum hominem residere, sed aliis alia peculiariter competere voluit, adeò ut eum qui à singulis omnia, ab omnibus singula, ab his universa sibi dari requirat, suaviter insanire conjicias. Enimverò, non una fert omnia tellus! Non omnis ubiq; doctrina feliciter  
germi-*



germinat! Non aliqua sine peregrinatione triumphat  
 scientia! Quem enim sine peregrinatione excellenter  
 peritum, aut qua fide, qua cognitione, qua experien-  
 tia insignem Historicum mihi finxeris, nisi his quae  
 tradit, negotiis, magna ex parte spectator adfuerit,  
 iisque quarum praecone se gerit virtutum comes asti-  
 terit, & quorum censuram agit vitiorum iracundus  
 censor assederit. Quem & sine praesenti oculorum fide  
 cognitione vè eruditum Geographum tutò venerari  
 aut meritò sequi queas. Hinc sanè Eratosthenis, Me-  
 trodori ac Pollidonij fidem à Strabone saepenumero fla-  
 gellatam fuisse audivimus: Hinc asperrimè Tertulli-  
 anum Tacito succensuisse, eumq; quod Judaeos ab Ida  
 Cretensium monte deduxerat, mendacissimum appel-  
 litasse cognovimus: Quid multa? Stephanum dein-  
 ceptis Viennam Galilaeae oppidum asseverantem: Sa-  
 bellicum D. Otiliae montem (qui non procul ab Argen-  
 tina spectatur) ad Bavariae fines locantem: Volate-  
 ranum Austeraniam cum Austria confundentem;  
 Avaros & Savaeos mutuò usurpantem taxatos fuisse  
 ac vapulasse accepimus; ac istum subinde Graecorum  
 Ephorum Geometriae non prorsus ignarum, quod Hi-  
 spaniam mille centum & triginta sex lapidibus am-  
 pliorem, unam esse solummodo civitatem existima-  
 rat, notatum meminimus: Nec insuper facile quis  
 Musicum salutabit, extra Timotheum, Pythagoram,

Cornel.  
 Agrippa de  
 Vanit. scient.  
 c. 5.  
 Ant. Muret.  
 Tom. 2. O. 12.  
 Bodin. in Me-  
 thod. Histor.  
 c. 4.  
 Cornel.  
 Agrip. d. loc.

Idem.

Guilhelm.  
 Budz. lib. 4.  
 de asse.  
 Philip. Ca-  
 merar. Med.  
 Histor. lib. 1.  
 c. 44. sub fin.



O R A T I O.

Ant. Major.  
in O. de Musi-  
ca.

Cornel. mobi  
Agripp. c. 83.

Empedoclem, Xenocratem, Aesclepiadem aut Isme-  
niam Thebanum, quenquam alium, nisi cum his Phry-  
giam eolverit, Lydiam perreptarit, omnes Græco-  
rum regiones adierit, Angliam cum Italia universa  
pervagatus sit ac usurpavit: Qua utiq; ipsa nec alia  
futurum ratione sperandum, quod Phrygia modula-  
tione incepta aliquem Alexandrum instar Timothei  
ad arma capienda compellere, furentem ac malè sa-  
num ad exemplum Pythagoræ cantu mitiorem & sui  
compotem reddere: Organicis modis Lymphaticos  
curare, velut Xenocratem ajunt, cives liberasse suos  
& Phreneticorum mentes, quod Aesclepiadi tribuitur,  
per symphoniam ad saniolem opinionem deducere va-  
leat, ac revocare queat. Quis deinceps Medicos domi  
solummodò institutos cognoscat? Quis non potius hos  
cum Aesculapios sese simulent, vix Menecrates Sy-  
racusanos victuros esse & dignos intelligat, qui luce  
pridiana ipsorum quidem egrotantium periculo, at  
secuturis suo medicinam facere & adhibere deberent.  
Quam sapientissimos Gymnosophistas conditionem  
suis Medicis dixisse accepimus; quod neminem absq;  
professionibus diuturnis peritum satis statuerent.  
Cum enim Medicinæ deditus & consecratus herba-  
rum tantam & tam variam virtutem, divina qua-  
dam providentia eis inditam esse sciat atq; innatam,  
tot & frumentorum, leguminum, seminum, quæ vel  
sua







Manil. 1.  
Astronom.

L. 1. §. Me-  
dicorum 1. ff.  
d. var. & Ex-  
traord. cogni-  
tion.

L. illicitas. 6.  
§. sicut Medi-  
co. 7. ff. de  
offic. Præsid.  
L. si ex plagis  
6. §. 3. ff. ad l.  
Aguil.

Arg. d. l. illi-  
citas. 1. impe-  
ritia. 132. ff.  
de R. §. l. da-  
mni. 18. ff.  
damn. infect.  
l. 1. ff. si qua-  
drup.

Euphorm. Lu-  
quæ in leone.

varios usus artem experientia fecit, exemplo mon-  
strante viam, ita, ut citra illam nemo quisquam Hip-  
pocrates salutem hominum egisse videri, ac inde libe-  
ralium artium Professoribus jure meritoq; suo præ-  
poni, ac anteferri; sed mortalitatis eventum ac sin-  
gula per imperitiam à se commissa potius sustinere ac  
luere debeat; ne scilicet vel humane fragilitatis præ-  
textu, egrotantium salus periclitetur ac pereat: vel  
medico inscitia patrocinetur atq; adsistat, præsertim  
cum imperitiam alienam, alij periculosam fore, tam  
iniquum sit, quam quod iniquissimum esse possit:  
Quem porro Ethicum mihi sine præstantissima pere-  
grinandi exercitatione ostenderis? Quem Politicum  
sine Angliæ, Galliæ, Germaniæ, Italiæ, Hispaniæq; to-  
tius perlustratione monstraris? Quæ enim ullis mor-  
talibus ad speciem magis est facta, ad gravitatem de-  
centius efficta, quam illa Gallorum hominum facies:  
quæ major cuiquam corporis habitudo præ illis con-  
cessa: quæ terra est consuetudinum legumq; à mayo-  
ribus sancitarum Angliæ istâ tenacior, suæ felicitatis,  
sui imperij ac status patientior, suæ sortis & scenæ a-  
mantior? Quid de Germania vestra, imò mea profi-  
tear? quod non omnes alij jam olim de ea professi fue-  
runt: Sed ut ut reliqua omitto, non omittam tamen  
nostræ nationis hominibus mores probari apertos &  
ipso vel speciem reconditi astus damnare & averfari  
solere:



solere: Spectare possis vim mentium ad aeternitatem  
 laborum robustam; adeo ut ceteri aliquando melius  
 quidem scire, nos vero plura possimus: Quid quod &  
 in Germania nostra veris maturisque prudentiam in-  
 herere judiciis, quae & nullo labore suis rebus cave-  
 re & alienos despiciere contra errores consueverunt,  
 advertere queas: Denique animorum candore reliqui  
 nobis cedunt omnes & universi: cuius vel inter cete-  
 ra maximum argumentum esse possit illud, quod vir-  
 tutes aliorum eorumque praesertim absentium, siue pra-  
 clara facinora, siue bene inventa, nostros homines non  
 Theonino dente arrodere, minus maligno & tumido  
 delibare livore, sed sinceris laudibus ac propemodum  
 immodicis ad caelos attollere videas. Quae humani-  
 tatis deinceps effusior spectari promissio Italorum be-  
 nignitate, eaque ab omni corporis sancita gestu notari  
 potest: unde nulla unquam vel exactiora urbanita-  
 tis, vel promptiora mansuetudinis atque persuadendum  
 multoties aptiora verba in Umbria Hetruria venen-  
 tis desideres. Neque hic Florentinos vel quoscunque Ro-  
 mano sanguine cretos quicquam temere & absque con-  
 silio vel dicere assuetos, vel facere, quin imò nutus o-  
 mnium, oculos atque verba in animorum argumenta  
 trahere videas: Graves denique & cum pondere quo-  
 dam elatos Hispaniae animos deprehendere, eosque non  
 subitaneo in diversa impetu effusos, sed omnia peri-  
 culorum



culorum agmina pertinaces existere sentias. factam  
 ibi natura & arte constantiam, adeo ut mirari forte,  
 & admirari, sed nunquam imitari, exprimere, aut se-  
 qui posse, confidas. Ac ut maximè, Auditores, isthac  
 omnia, nedum majora multò præ omnibus aliis vene-  
 randa peregrinatio, scire desideranti exhibeat, ani-  
 mumq; ad sui ipsius absolutionem quæ in hanc vitam  
 cadere potest, perducatur, multisq; insuper honorum,  
 dignitatum, & divitiarum cumulis beatiorum au-  
 ctiorumq; efficiat: quanti tamen ad suavitatem pro-  
 fectionis collata, & cum hinc proveniente jucundita-  
 te composita isthac fieri debeant, nec nostra completi  
 memoria, nec lingua proferre potest. Ipsi, si libet,  
 egredimini, qui mirandam naturæ dignitatem tueri  
 cupitis, qui vè rerum naturalium amœnissimum aspe-  
 ctum percipere, contemplari & assequi vultis: Equas  
 profectò in Hispaniis à vento Favonio imprægnatas,  
 parturire videbitis. Toto deinceps orbe pulcerri-  
 mam Campaniæ plagam, & isto nil mollius cælo, nil  
 uberius solo, bis floribus vernante habebitis: alibi  
 Selenetidas sive lunares fœminas ova parere, indeq;  
 homines multò nobis ampliores excludere, & alibi  
 puellas septimo, imò quinto ætatis anno matres fieri  
 reperietis. Sami præterea Insula feracissimam fer-  
 tilitatem, vel ex Gallinaceo lacte perspicietis: De-  
 nuo & in Gallecia amplissima Hispaniarum provin-  
 cia

Consult.  
 V Vürtemb.  
 orat. 1.

Plin. 4. nat.  
 histor. c. 22.

Florus lib. 1.  
 c. 16.

Plinius lib.  
 7. c. 2.

Teste Scali-  
 ger. Exerc.  
 144.



O R A T I O.

cia ad tantam & tam stupendam vilitatem aurum inveniri sentietis, adeo ut etiam agrestes homines aureolas arando glebas exscindere conspiciatis: Nihil de Bebelojam afferam, celeberrimo argenti puteo, quem Annibali Pœnorum duci, indies trecenta pondo, sive tria aureorum millia fudisse & subministrasse ferunt. Nihil de Asturia, nihil de Lusitania singulis annorum vertentium spaciis, vicena millia auri pondo Romanis præstantibus commemorabo: Ipsi experiemini, ipsi videbitis, ipsi bis utpote temporum injuria non penitus abolitis atq; sepultis vestigiis, longè augustiora, longè majora, insigniora spectabitis. Spectabitis inquam, in maritima Cantabrie plaga, montem præruptè altum, eumq; ex solido ferro & stupendo nature miraculo compositum, editum ac fabrefactum. Ulterius in Arvoniam Britannie præstantissima parte Canovium, conchas alentem cœlestiq; rore gravidas margaritas parturientem fluvium deprebendetis. Nec non in Eboracensi, totius Anglie patentissima provincia lucidissimum illum fontem ac celebratum Droppinguel, in quem, quicquid lingni immissum, lapideo post cortice brevi obductum extrahitur, considerabitis. Salem verò Indicum, testante Archigene à Sacharo nostro nihil omnino distare, sed pares cum eo vires atq; dulcedinem eandem sortitum fuisse advertetis. Ceterum in Naxo, quam vulgo Dyoni-

Refert de suo seculo Justin. lib. 4. Plinius lib. 33. c. 6 sic tradidit.

Idem. d. loc. c. 4.

Idem lib. 34. c. 14.

Cambden. p. 535.

Idem Cambden. in Britan. Brigantib p. 570.

Paul. Ægina lib. 2. c. 54. Johanne Salmuth. in notat. 4. ad Guidon. Pannie vol. tit. 5. Memorabil.





idem Sal-  
muth in no-  
tat, ad tit. 10.  
Memorab.  
lib. 2.

Alex. ab.  
Alexand 41.  
Genial, dier.  
s. 17.

Consult.  
VVürtemb.  
O. 1.

Cambden.  
in Damnoniis  
p. 136.

Herm.  
Kirchn. O 9.

Idem d. loco.

*siam ferunt, insula, fontem vino fluere mirabimini:  
Quin etiam ad Nilum delati, sublatis ad cœlum ma-  
nibus, Numini gratias exsolvetis pro tanta aquarum  
dulcedine ac suavitate, cumq; Ægyptiis omne vino-  
rum genus ne gry quidem facere instituetis: Itaq; &  
Pescennius à Syriaco exercitu Cæsar acclamatus, Mi-  
litibus, qui Ægypti limites custodirent, vinum effla-  
gitantibus reposuisse scribitur: Nilum habetis, & vi-  
num queritis. Sed tu, qui nihil nisi tuas nuces mira-  
ris, in Scotia, ubi anseres clack guyse arboribus inna-  
tos in præterfluentem viuos decidere videris, aliquo  
extra dubium stupore afficeris, nec minùs ex aspectu  
celeberrimi saxi quod in Cornubia, Britannia provin-  
cia, non procul ab emporiolo Pèsans ostenditur (Main-  
Ambre) non satis de prædicanda virtute stupefces.  
Quid? In eadem regione Scotiæ insulas, antiquarum  
more Cycladum natantes, procellarumq; ludibrio hinc  
inde fluctuantes contemplaberis. Quod & si in Bo-  
russiam fortè excurreris, succinum & electrum vo-  
mitu maris ejici ac eructari intelliges: Ulterius ad  
Budam Hungariæ urbem, sulphuratas & tanti fer-  
voris aquas, vix ut pede tentare possis, accipies, inq;  
eas aliorum fluminum coniectos pisces, mox supino  
ventre morituros, aspicias. Quid verò alibi profe-  
ctionis studiosos quo se delectare possint, inventuros  
esse proponam? Sanè Scamandrum virginittatis præ-  
libato-*



libatorem existere; Thus & myrrham in Moravia, non in fruticibus gigni, sed è terra visceribus miraculosè oriri: Roscellanum agrum in Umbria tam prodigè feracem esse, ut perticas pridie relictas, una nocte gramen operiat. In majore Polonia, propè Sremum oppidum in colle quo piam ollas, amphoras, cacabos & alia sponte sua nascentia vasa: Russiam adeò fœcundam, ut messe facta, ex semine deciduo ager fiat restibilis, sequente anno, nec novam sementem desideret: In Podolia tantam esse Pratorum ubertatem ut boum cornua vix è gramine appareant: Galliam quotannis lapidibus crescere spectandis, & lapicidinarum ulcera sponte compleri solere: Pontem Hispanie nativum ubi perpetuò plurima armamentorum millia nascuntur: Lacum Staffordiensem in Anglia cujus aquis fera se credere nulla solet: Volucres Brasiliae pisces, baleci aliàs non absimiles, ab aquis ad duas vel tres ulnas elatos: Item Cinz. ones aves Mexicanae regionis, pedibus carentes, & rore tantummodo victitantes: Cancros in America regione terrestres, in truncos arborum recisarum earumq; radices se recipientes: Pisces saxatiles atq; terrestres, quin imo fossiles in terra visceribus degere solitos: Sentida herbam, vivam aliis nuncupatam, sponte folia claudere, eaq; denuò pandere, ac reserare hominisq; accessum sensu percipere: Mortiferam illam Nonacri Arcadiae aquam: & alia,

Anti-Machiavell. lib. 2. de Regno theorem 5. Kirchner. d. Or. 5.

Serv. Comment. in Virg. ad 2. Georgic. Heugebauer rer. Polonic. lib. 1.

Alex. Guaguin. rer. polon. c. 2.

Consulte. VVürtemb. in O. pro Polon.

Teste Ulpian. in l. fructus 7. §. si vir. 13. ff. solut. matrim. de quo Bodin. in Thes. Nat. lib. 2.

Necharus in libr. de laud. divin. sapient. Guid. Pancirol. lib. 2.

rer. Memor. ibiq; Salmuth ad tit. 1. in not.

Idem d. loc. Idem ibid.

Aristotel. lib. de respirat. vide & Polyb. lib. 4.

Linschöran. in Histor. Bra-



*filiz. in A. Plin. lib. 39. c. 16. in fine.*  
*Petrus Matth. in hist. Hec. 4. lib. 1. Nar. rat. 4.*  
*20. Tonnen Gold.*  
*Merula Cosmographi part. 1. lib. 2. c. 19.*  
*Vellejus Patercul. histor. lib. 2.*  
*Cujus mentionem facit, Modestus in l. si duas 6. §. valde 10. cum seq. ff. de Ex-*

*si, quod antea tamen me facturum negavi, adducere*  
*Et recitare vellem, dies certe me citius oratione ipsa*  
*deficeret. Succedunt his subinde alia, quorum sola vel*  
*auditione vel fama, animos nostros mirifice recreari,*  
*Et demulceri compertum est: Hic San. Laurentianum*  
*monasterium, in Escuriali admirandi operis, egregiam*  
*ac regia omnino molem, in quam Philippum secundum*  
*ducenties centena millia coronatorum insumisse scri-*  
*bunt. Ibi praestantissimam Legionem, cujus in sacra-*  
*rio triginta septem Regum Et unius Hispaniarum*  
*Imperatoris ossa Et cineres condita, asservantur: Hic*  
*Hispanias per continuos annos ducentos, Et quae ex-*  
*currunt tempora, multo multoq. cum Italia luctatas*  
*cruore Et ita madefactas, aspicias, ut interitum se-*  
*pissime Romanis fascibus mirari vise fuerint. Hanc*  
*Provinciam Scipiones Romanis eripuisse, illam subdu-*  
*ce Viriatho decennali discrimine Romanorum signa*  
*mirabiliter exercuisse: hanc Numantino bello toga-*  
*tam gentem continuo afflixisse ac tremefactam pene*  
*triumphasse: hanc deniq. veluti vastissimum quendam*  
*gurgitem tot Consulares, tot Praetorios Duces hausisse*  
*Et absunxisse inaudies. Tot item per Italiam celebra-*  
*tissimas Academias, antiquissimam primo Romanam;*  
*Bononiensem praeterea studiorum, cum ceterorum,*  
*tum imprimis legalium, matrem atq. monarcham.*  
*Patavinam insuper, veluti Atheniensem Areopagum,*  
*Floren-*



Florentinam cum Pisana, aliasq; contemplanda: hic  
 Arsenale illud Venetorum cum ipsis Venetis: quae si  
 non extarent, summo Italia ornamento, res Christiana  
 praesidio, libertas per fugio, natura miraculo cari-  
 tura sit ac defectura: illic Roma orbis universi caput,  
 etiamnum magna jacebit, & militaris discipline glo-  
 ria, ibi tot sepulti duces, tot memoranda, tot suspi-  
 cienda se tibi ostendent, quanta ne singula quidem a-  
 pud multos, at omnia apud nullos quos ubiq; offendere  
 possis, homines, cernere liceat ac intueri: illa, me Deus,  
 Capitolij laquearia & tecta inaurata, ipsas fores cras-  
 sis auri laminis circumdatas: illud Trajani forum,  
 singularem sub omni caelo structuram, etiam Numi-  
 num ascensione mirabilem attonitus considerare po-  
 teris. Hic Mediolanenses, Porta Jovia Castrum,  
 Europaeis aliis omnibus anteferre: Hungaros suum  
 Javarinum & Comorram: Turcas Goletam: Vene-  
 tos suam Palmam; Gallos suum Ambianum: Hispa-  
 nos suum Malacam: Polonos Smolensko suum, Suecos  
 suam Calmariam: Danos suum Croneburgum, Au-  
 striacos Viennam, Brandenburgicos Custrinum, Mise-  
 nos Königsteinum, & ceteros cetera jactare, & lau-  
 dibus ad caelos evehere inaudies: De Gallia quid di-  
 cam? imò nihil dicam; siquidem si dixerim eam forti-  
 tudine superare Germanos nostros, Graecos concordia  
 animorumq; firma contesseratione vincere, omnes in  
 orbe

consultat. Tutor  
 & Ulpianus  
 inde à Mutij  
 Scavola tem-  
 poribus flo-  
 ruisse allegato  
 quodam ipsi-  
 us responso  
 innuit in l.  
 cum filium 17.  
 ff. de Reb.  
 credit. m. 11

Vide conf.  
 VVirt. in O.  
 pro Ital.  
 Guicciard.  
 Histor. lib. 1.  
 Ammian.  
 Marcell. lib.  
 16.

Consult.  
 VVürtemb.  
 pro Britann.

Joseph. de  
 Bello Judaic.  
 lib. 2.



O R A T I O.

*orbe Provincias omnivariis virtutibus superare & antecellere, si eam, nimio quam credere quisquam potest, esse beatam, nullarum non divitiarum feracem, trecentis ac quinq; populis atq; supra mille ducentis amplius oppidis infessam, hæc inquam, Auditores, si dixerim, quis credet facile qui non vidit, & qui inter eos, qui viderunt, ipse vidit, minora, quam veritas impetrare debebat, me dixisse, non accusabit? Idem etiam mihi contingere futurum sit, si Germaniam, verissima prisca architectura signa penè ab antiquissimi Nini Babylonici temporibus, in Treveri sua ostendere contendam! Si cippos statuas, & Drusi monumentum, prope Moguntinum, in Rheni colle, extare: Si nihil in Italicis antiquitatibus, cui Germania vetustas, jure cedere queat, reperiri dicam. Sed quorsum abripimur? Idem, Auditores, mihi contingere & usu venire video, quod iis, qui animi gratia horiolam conscendunt, oram solummodo litoris legentes, suavissimo delectationis sensu capti, hinc à margine in altum, feruntur, longissimeq; à portu, præter voluntatem ventis secundis abstracti visuntur. Quocirca, ne benignitate vestra abuti, aut animos, quos tam ad auscultandum patientes mihi concessistis, diutius tenere velle videar, navem eò, unde principio egressa est, reducam portumq; respiciam. Quandoquidem & hoc jure quodam vobis debeo, & mecum, divinam  
illam*

Herm.  
 Kirchn. d.  
 O. 5.



illam Scauri sententiam non minus magnam virtutem esse scire desinere, quam scire dicere, diligenter expendo. Cognovistis gravissimorum hominum de peregrinatione iudicia, & sitientissimo ardore juvenibus imitanda doctissimorum quorumque virorum exempla: quibus nolo jam addere Cyrum, inde à puero periculosissimis quibusque itineribus mancipatum, nec Tbeseum, virtutis atque militaris scientiae causa, profectioibus, tam <sup>34</sup>marinis, quam terrestribus improbo satis, sed non evanido labore, exercitum & periclitatum: Ipsi per vos neminem commodius, & majori cum nominis sui gloria ad summa Reipublicae gubernacula evehi posse cernitis, neminem, cum vehementiori civium applausu, gratulatione ac commoditate magis praesenti, ad augustissimas publicorum officiorum ac munerum functiones extolli videtis, quam eum, qui cum Hercule universum terrarum orbem oculis lustravit, pedibus peragravit, & eternam scientiae aeternitatem hinc animo suo quaesierit: quam eum, inquam, qui non domi suae & intra privatos parietes sapere, aut pulicum passus (ut est in ista Aristophanis scena) metiri didicerit: Sed qui cum Platone olim & Lysandro Venetisque die hodierno omnes civitates, omnes Respublicas, omnia regna & imperia inviserit, ac inde Reipublicae instituendae ac gubernandae formam mutuavit; quam eum, qui in juvenili vitae spacio, cum

D

Ulysse,

Seneae. text.  
lib. 9. con-  
trov. 5.



O R A T I O.

Ulyſſe diu multumq; peregrinatus, diverſos multo-  
rum populorum mores & ritus, urbeſq; excultiſſimas  
luſtrârit: origines regnorum, incrementorum ac e-  
verſionum cauſas inquiſerit, quid in qualibet civita-  
te laudabile, quid emendabile, obſervârit: Inſuper  
nihil peregrinatione ad hominis perfectionem melius,  
ad varias ſcientias adipiſcundas & animo comple-  
tendas aptius: ad veritatis indagacionem præſtan-  
tius: ad laudem & gloriam nominis immortalẽ præ-  
ſentius reperiri, perſpexiſtis: Nihil variarum Pro-  
vinciarum peragracione ad omnem voluptatem ac-  
quirendam potentius, nihil ad cujuſcunq; generis  
ſuavitatem conciliandam majus: nihil deniq; ad amœ-  
nitatem ex variis, & admirandis naturæ operibus  
percipiendam exactius cuiquam obtingere poſſe ad-  
vertiſtis: nihil inſpectiõne locorum commendatiſſimæ  
ac priſcæ virtutis dulcius, nihil antiquitate rerum in  
peregrinatione obviarum divinius fingi cogitari vè  
poſſe audiſtiſtis: ò itaq; neceſſariam peregrinationis  
neceſſitatem! ò ſuaviſſimam exoptatæ profectiõnis  
ſuavitatem! ò inſignem & utiliſſimam peragracionis  
utilitatem! ò Excellentiam! ò dignitatem! ò amœni-  
tatem venerandam, ſuſcipiendam, de prædicandam.  
Agite adoleſcentes, agite, facite, ne concharum quæſo  
imitatores exiſtatis, ne vè cum homines ſitis, ad beſtia-  
rum ſpeluncas vos ipſos damnetis, abjiciatis: ne hanc  

divinam



O R A T I O.

divinam vobis gloriam inuideatis, ipsi eripiatis. Quod si modò Reipublice laudabiliter inservire vultis, pergite, obfirmato jam animo juvenes, & literarum scientiâ haud mediocriter expolito ad Gallias; invisite Hispanias: cernite ac perlustrate Italiam, Neapolim, Sicilias, usurpate Poloniam: accedite Angliam: rimamini Scotiam, spectate penitus hanc nostram Germaniam, considerate, quod licebit, omnes in orbe Provincias, & ita futurum erit, ut copiosissimam studiorum vestrorum messem colligatis, ut omnibus, licet ad unam virtutibus eruditi homines, supra tamen humanam conditionem atq; sortem surgatis & ascendatis: ut omnem, inquam, uberrimè voluptatem, eamq; rectissimam & cordato homine dignam sentiatis ac degustetis: ut deniq; solidam scientiarum commoditatem atq; præstantiam opere ipso consequamini, extra vos rapti miremini, vos ipsi & patriæ vestræ dulcissimæ animitus gratulemini, ac celeberrimas huius non vulgaris gloriæ victimas, has preciosas laborum vestrorum hostias, hanc nominis vestri immortalitatem, offerre, statuere, ac dedicare possitis.


DIXI.



D 2

DECA.





DECANUS COMMUNI-  
TATIS STUDII BONARUM AR-  
TIUM, IN ACADEMIA  
LIPSIENSI.

**D**E studio peregrinandi  
variæ vulgò feruntur & discrepantes  
sententiæ; ut varia sunt hominum in-  
genia, & judicia de rebus, etiam ex-  
tra dubitationis aleam positis, inter  
se non rarò dissidentia. Veruntamen id certò  
constat, sapientum omnium consensu, nullam o-  
stendi posse viam, vel ad liberalis scientiæ laudem,  
vitæq; civilis experientiam assequendam, com-  
pendiosiore, vel ad dignitatis, honoris ac gloriæ  
promerendam palmam accommodatiorem, Pe-  
regrinatione. Etenim hæc, si vera ratione susci-  
piatur, occasionem aperit discendi per opportu-  
nam, in omni genere scientiarum & Artium; dum  
ad scholas & Academias quasq; celeberrimas,  
tamq; ad florentissimas literarum & doctrinarum,  
apud diversos gentes, Emporia, peregrinantes de-  
ducit: Hæc rudes & ineptos adolescentum mo-  
res, quales ferè fert domestica Educatio, usu &  
consuetudine variorum hominum informat ac  
perpolit,



perpolit, excitat augetq; industriam, acuit ac confirmat iudicium, & imprimis ad inferendam animo τὴν πολιτικὴν σύνεσιν, h. e. civilem prudentiam, vim multò maximam habet; dum variarum gentium ac populorum, Rerum publicarum & urbium mores, instituta, leges ac consuetudines investigat, & quid præclarum & salutare, quid perniciosum ac turpe insit in his singulis, accuratè miratur & inquirat. Atq; hæc causa viros sapientes, omnium temporum & Nationum, movit atq; impulit, ut peregrinas Gentes Nationesq; exterarum adirent, Regiones & Provincias remotissimas perlustrarent, literarum & artium doctrinam investigarent, diversos diversorum Populorum leges, mores, instituta cognoscerent; quò demùm omnia hæc ad incrementum & salutem Reipublicæ conferrent. Quod de Solone, Lycurgo, Platone, aliisque præsci illius ævi, penè innumeris sapientibus, memoriæ proditum est. Verùm, ut hic fructus Peregrinationis, sanè amplissimus, subsequatur, non cæco quodam impetu ad terras Nationesq; exterarum excurrendum est; ac (quod perperam multi faciunt) Studio tantùm visendi Urbes peregrinas atq; ædificia; montesq; lustrandi excelsos, aut fluvios spectandi & Maria, aut deniq; videndi, in habitu cultuq; corporis, figuras hominum aliquas novas, & si quid est præterea quod



non tam informare atq; erudire juvenilem ani-  
mum, quam oculos spectantium pascere atq; ob-  
lectare solet: sed peregrinantibus sic adeundæ sunt  
urbes exteræ, visendæq; Academia, & periustran-  
dæ provinciæ, ut non tam oculis illa serviant, quam  
animo, h. e. non tam mirentur externa illa oble-  
tamenta vulgi, quam veras scrutentur opes sa-  
pientiæ, quas imprimis conversatio assidua & di-  
ligens, cum viris scientiâ & virtute antecellentibus,  
suppeditare solet. Hi igitur inquirendi sedulo  
omnibus in locis; Hi crebro adeundi, audiendi,  
consulendi, cum his colloquuntur, nunc voce,  
nunc literis, ut res & tempora ferunt; atq; instru-  
endis hac occasione <sup>animis</sup> atq; pulcherrimâ rerum opti-  
marum cognitione; è qua fructum aliquando ca-  
piat uberrimum in Republica, & simul honestissi-  
mâ voluptate, ac fruge illa pridem expectatâ, Pa-  
rentes, Cognati & amici perfruantur. De quo  
argumento, jucundo simul atq; utili, cum Ora-  
tionem latinam eruditam conscripserit hoc tem-  
pore, Juvenis Ornatissimus ANDREAS KULPIS,  
Meynebensis Misnicus LL. Stud. eamq; permissu  
nostro, die Crastino, fortunante DEO, hora 8. pu-  
blicè recitaturus sit; omnes studiosos literarum &  
Artium bonarum officij ratione monemus, ut  
dicto tempore in hujus Collegij Acroaterio Phi-  
losophico frequentes conveniant, quæq; de hoc  
argu-

argu-  
diac  
ut a  
fr



argumento dicentur, attentè cognoscant; stu-  
diaq; & ipsi sua sic instituant in hoc flore ætatis,  
ut aliquando Doctrinæ CHRISTI Reiq; publicæ  
fructuosa sint ac salutaria. P P. die secundo M.

Aprilis Anno CHRISTI  
M. DC. XIX.

F I N I S.





No

234 QK

argumento dicentur, in  
dico: & postea ne infirma  
ut ab ipso Doctore CHR. S. T. R. eid: publice  
fructuosa fuerit. P. P. die secundum M.

Aprilis Anno CHR. S. T. R.

M. DC. XIX.

F I W I S



W M

ni





W. 253, 25

X 1904

Suan

NATIO

ejusq; cum

Alma  
Spectabilis D  
TATIS

Acroater

Andre



Excudeba

RI.

asserit,

na amoe

0  
e FACUL  
nsensu

abita

rensi,



SCH,



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

